

vij

profundas; qua denique cura, optimarum scientiam disciplinarum cum studio de omnibus bene merendi adjungas. Verum hæc, quamvis paucula & longe meritis Tuis inferiora, suspicor, haud satis æquis oculis Te esse lecturum: unum tamen reticere non possum, neque vero Tu jure prohibere posses, EMINENTISSIME PRINCEPS, ne, quod verissimum est, pronunciem: nimirum FABII Te CHISII, qui ad Summi Pontificatus apicem euectus, ALEXANDRI VII. nomen sibi imposuit, vestigiis presse inhærentem, vivam virtutum ejus imaginem referre.

Sciunt, qui res Illius præclare gestas literis commendatas recolunt, quam Is magnificentiam adhibuerit, exstructis operibus & ædificiis, tum sacris, tum profanis: quàm sedulus Ecclesiasticæ disciplinæ custos, munera viris, non viros muneribus honestare contenderit: quo fuerit ardore Catholicæ religionis custodiendæ propagandæque: qua in  
bo-